



Specimen juridicum inaugurale de in jus vocando

<https://hdl.handle.net/1874/295253>

14

SPECIMEN JURIDICUM
INAUGURALE
DE
IN JUS VOCANDO

Q U O D
FAVENTE DEO O. M.

Ex Autoritate MAGNIFICI RECTORIS

ALEXANDRI PETRI NAHUYS

A. L. M. Phil. & Med. Doct. Medicinæ, Botanices,
Chemiæ & Physiologiæ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICAE decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, ac
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Examinandum Eruditis offert

CORNELIUS ADRIANUS VAN DEN HONERT,

HAGA BATAVUS CIVIS ROTERODAMENSIS.

Ad diem XIII. Septembr. MDCCCLXXX. H. L. Q. S.

TRAJECTI AD RHENUM,
Ex officina ABRAHAMI VAN PADDENBURG,
ACADEMIAE TYPOGRAPHII, MDCCCLXXX.

21. СИДИЧЕСКИЙ ТРИБУНАЛ

22. АРХИВЫ АДМИНИСТРАЦИИ

23. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

24. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

25. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

26. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

27. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

28. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

29. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

30. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

31. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

32. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

33. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

34. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

35. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

36. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

37. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

38. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

39. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

40. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

41. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

42. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

43. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

44. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

45. АДМИНИСТРАТИВНЫЕ ДОКУМЕНТЫ

NOBILISSIMIS. GRAVISSIMIS.

VIRIS

JOHANNI VAN DEN HONERT,
APUD SCHOONHOVIANOS MERCATORI
VIGILANTISSIMO.

PETRO NICOLAO JUINBOLL,
J. U. D.

CIVITATIS ROTERODAMENSIS EXACTIONIS
AEDUM ORDINARIAE QUAESTORI PRIMA-
RIO:

FRATRIBUS SUIS; PRIORI, SANGUINIS; PO-
STERIORI, AFFINITATIS VINCULO, JUN-
CTIS: OMNI FRATERNO AMORE IN PER-
PETUUM COLENDIS:

NEC NON
AMPLISSIMO. GENEROSISSIMO.

VIRO.

CORNELIO GROENINX VAN ZOELEN,
J. U. D.

TOPARCHAE IN RIDDERKERK,
CIVITATIS ROTERODAMENSIS SENATORI,
COGNATO SUO DILECTISSIMO, AD EXTRE-
MUM USQUE VITAE HALITUM VENERAN-
DO, PROSEQUENDO:

* 2

UT

CLARISSIMO. CELEBERRIMO.

VIR O. MEINARDO TIJDEMAN,
J. U. D.

IN HAC ILLUSTRI ACADEMIA JURIS NATU-
RAE, GENTIUM, AC PUBLICI ROMANO-
GERMANICI ANTECESSORI ORDINARIO,


PROMOTORI AC PRAECEPTORI
PERPETUUM HONORANDO,
DE SE, STUDIISQUE SUIS OPTIME MERITO,

*Hasce Studiorum primitias,
omni, qua par est, reveren-
tia, & obsequio*

D. D. D.

C. A. VAN DEN HONERT,

AUCTOR.



SPECIMEN JURIDICUM
INAUGURALE

D E

IN JUS VOCANDO.

§. I.



xactis Regibus omnes Leges abrogatae erant, Popu-
lusque Romanus incerto magis jure, ac consuetu-
dine, quam per Legem latam ali cooperat: Ne hoc
diutius fieret, tres Legati in Graeciam mittebantur, qui inclitas
Solonis Leges describerent, Graecarumque civitatum instituta,
mores, ac jura noscerent. L. 2. §. 3. D. de O. I. Livius L.
3. C. 31.

Hisce Legatis, cum juris Graeci copiis, reversis, creati sunt

A

De-

Decemviri Legibus ferendis, omnes ē patribus, summo & infinito imperio praediti, qui Leges novas civitati suae aptas scripserunt, & in 10. tabulis aereis promulgatas, in comitiis centuriatis pertulerunt. Duabus reliquis, quae deēsse dicebantur, & ob quas Decemviri iterum creabantur, adiectis, Leges Decemvirales, quibus tabulis 12. nomen est, in aes incisae, in publico propositae sunt: *Livius L. 3. C. 57.* Quarum prima egit de in jus vocando, de qua, postquam aliquid de in jus vocatione universē dixerimus, plura videbimus.

I I.

Siquis actionem instituere, & id, quod sibi debetur, in iudicio persequi velit, adversarium suum in jus vocare necesse habet; summa enim nititur aequitate in jus vocatio, ne quis inauditus condemnari, ac defensione, quae naturalis est, privari possit: *Voet ad pand. L. 2. t. 4. §. 1. Vinnius ad §. ult. de poen. tem. lit.* Imo Deum O. M. primo magnoque illo iudicio reos Adamum, & Evam, (ut ita dicam,) in jus vocasse videmus: Quamvis enim summo judici, cui omnia nota sunt, rei cognitione, & criminis inquisitione minime opus esset, illos tamen inauditos condemnare noluit. *Genes. 3. vs. 9. sqq.*

Romani etiam nunquam cum, qui jus suum, vel id, quod sibi deberi putaret, in iudicio persequi vellet, audiri, vel de eo, quid statui prius permiserunt, quam adversarius in jus vocatus,

tus, ideoque reo se defendendi occasio data esset: Dignum itaque praeceptum, quod omnibus tribunalibus inscribatur, *audi & alteram partem*, quomodo enim judex, reo inaudito, de causa recte cognoscere, justamque sententiam ferre poterit? Conf. Acta Apost. C. 25. §. 16.

Hunc autem actum omnium actionum instituendarum principii, & judicii, latius scilicet accepti, primam partem atque fundamentum esse appareat. *Vid. Vinn. ad §. ult. de poen. tem. lit.*

III.

In *ius vocare*, ait Paulus *L. I. D. de in jus voc.* esse juris experiundi causa vocare, Justinianus vero *§. ult. inst. de poen. tem. lit.* in *ius vocare* esse ad eum vocare, qui *ius dicturus* est: *Nisi addatur*, quod ordinario subintelligendum est, utraque definitio vitiosa esse videtur: Imperator enim omittit finem, *cur quis vocetur ad eum*, qui *ius dicturus* est, *nne quo in jus vocationis nullus esset effectus*, juris nempe experiundi causa: Paulus autem solum *in jus vocationis finem tradit*, omittit vero, *ad quem fieri debet*.

Plenissimam habebimus definitionem, si has duas definitiones conjungamus, ac, quod abest, vicissim addamus: scilicet *in jus vocare* nihil aliud est, quam *juris experiundi causa vocare* ad eum, qui *ius dicturus* est.

Omnes juris significationes, quae in jure nostro variae sunt, *L. II. L. 12. D. de just. & jur. L. 10. D. si seru. vind. §. 2. inst. de Reb. Corp. & incorp.* hic enumerare ratio instituti non pa-

titur; nemini enim, qui nostram jurisprudentiam salutavit, ignotae sunt: notasse sufficiat, jus heic loci non solum locum, ubi Praetor jus dicit salva imperii sui majestate, sed & in genere significare, ubi juris dicendi vel judicandi gratia consistit *L. 4. §. 1. D. de interr. in jur. fac.* Unde apparet in jus vocare idem esse, atque ad Praetorem vocare, uti heic loci sic significat; sicuti enim hoc sensu jus differt a judicio, id est, loco, in quo Judex Pedaneus cognoscebat, *L. 15. D. rem. rat. bab.* ita ad Judicem Pedaneum vel arbitrum non siebat vocatio, sed citatio, uti postea apparebit. *Arg. L. 3. §. 1. D. ne quis eum, qui &c. & Leg. 2. D. si quis in jus voc. non iu.*

I V.

Locus autem, in quo Praetor jus dicebat, erat duplex, aut superior, aut planus: Per superiorem intelligitur tribunal, qui locus ab Oratorum Principe etiam superior appellatur *L. 3. ad fam. Ep. 8.* tribunal autem secundum *Vitruvium Architect.* *L. 5. C. 1.* erat locus amplissimus & spectabilis in comitio fere hemicycli forma introrsum curvatus, in quo in sella curuli Praefidens Praetor, hasta posita, causas cognoscebat: tale tribunal non erat proprium omnibus, sed solis majoribus magistris, quibus solis etiam sellae curulis jus erat: Minores enim Romanorum Magistratus, veluti tribuni Plebis, triumviri, quaestores tantum in subselliis jus dicere solebant: Sellae autem curules erant, in quibus Magistratus jura sedentes reddebant. *Ibidem. L. 20. Etymol. C. 11.*

Hasta,

Hasta, quæ inter Praetoris insignia recensebatur, etiam hic addebat, tanquam jurisdictionis signum *Sigonius de jud. L. I.* *C. 7. Nieupoort de Ritib. Rom. C. 4. §. 3.* Per planum intellegimus eum locum, in quo Praetor extra tribunal sella curuliposita jus dicebat: è tribunali enim descendens in aequo consistens solo, saepe domi, & in via civium desiderium audiebat. *L. II. D. de just. & jur. L. 4. D. de interr. in jur. fac.* Ex dictis satis constat, ad quem is, qui jus suum persequi velit, adversarium suum, nempe ad Praetorem, vel alios, qui jurisdictioni praesunt, in jus vocare deberet. *L. 2. §. 27. D. de O. F.*

V.

Praetor autem maxime juri dicundo praeerat, & ad hoc erat institutus; cum enim consules, qui jus dicebant, bellis finitimi avocarentur, & justitiae administranda intenti esse non possent, constitutum est, ut Praetor quoque crearetur, qui in jure dicundo consulum vicem suppleret: *L. 2. pr. D. Siquis in jus voc. non iv. ad judices Pedaneos in jus vocatio fieri non poterat, citatio vero poterat: in jus enim vocatio privata auctoritate ad Praetorem, sed citatio jussu Judicis, vel Magistratus, voce Praeconis, vel legitimis Edictis ad judicem Pedaneum fiebat:* cum enim quis in jus, id est, ad Praetorem vocatus esset, Praetor negotii & causae controversae narrationem audiebat: actor autem actionem edebat; nisi id fecerat, antequam reus in jus venerat; nam ante Praetoris Edictum in actoris arbitrio fuisse

videtur, an actionem eodem tempore, cum adversarium in jus vocaret, an post in jus vocationem factam edere vellat. Huc pertinet locus *Plauti in aulul. Att. 4. sc. 10.* ac in *Persa Att. 4. sc. 9.*

Sa. age, ambula in jus, leno. D. quid me in jus vocas?
Sa. illic apud Praetorem dicam: Sed ego in jus voco.

V I.

Posterioribus vero temporibus actio ante in jus vocationem erat edenda, ne reus dilationem petere posset; satis temporis, quod jure Novellarum est 20. dierum *Novell. 53. C. 3.* habens ad deliberandum, utrum cedere an contendere vellat. *L. 1. pr. D. de Edend.* cum vero reus ad Praetoris tribunal venisset, fiebat postulatio, & tunc Praetor vel ipse cum consilio de causa cognoscebat, vel dabat judicem Pedaneum, qui de causa cognosceret: judice à Praetore dato, non solum reus, verum etiam actor citabantur, ut litem apud judicem Pedaneum persequerentur, nec non testes, si causa exigebat.

Citatio quoque saepius fiebat, cum in jus vocatio tantum semel de tota causa requirebatur: ex quibus jure antiquo magnam inter in jus vocationem & citationem differentiam fuisse apparet. Cum vero modus ille judiciorum instituendorum & danorum judicum Pedaneorum exoleverit *L. 2. C. de ped. jud.* hae differentiae non amplius locum habent, sed in jus vocatio cum citatione est confusa.

Omnis,

Omnes, qui legitimam in judicio standi personam habent, ac qui non impediuntur, neque prohibentur, agere possunt, unde servi, qui jure Civili pro nullis habentur, in jus vocare nequeunt; sic impuberes, furiosi, prodigi, aliquae similes ad limen judicij non admittuntur *L. 32. D. de R. J. tit. Cod. qui leg. pers. stand. in jud.*: Nec non Magistratus, qui cum imperio sunt, durante officio, etiam prohibentur: *L. 48. D. de jud.* an autem actor sit persona singularis, an Respubl., an Universitas, nihil interest. Illae enim agere possunt, scilicet constituto auctore per eos, qui Reipubl. vel universitati praesunt, ut & collegia, seu societates, si modo sint licitae.

VII.

Cum quis adversarium suum convenire vellet, privata auctoritate eum in jus vocabat, ita ut nequidem Praetoris permissione intercederet, neque apparitore opus esset; quod quidam ex *L. 5. D. de jud. & L. 9. Cod. de bon. Auth. jud. possid.* male colligunt: sed actor reum sibi obvium monebat, ut se in jus sequeretur, his plerumque verbis: in jus eamus, in jus veni, sequere ad tribunal, in jus ambula, in jus te voco: quae apud Plautum & Terentium frequenter occurrunt. vid. *Bripon. de formul. L. 5.* Reus hoc modo in jus vocatus statim & protinus vocantem sequi, & ad Praetorem ire debebat: sic enim in *Leg. 12. tabb. habebatur.*

SPECIMEN JURIDICUM

SIn jus vocA TquEat

id est

Si quis in jus vocatus est , statim sequitor :

Verbum enim *atque* hic pro *statim* sumitur : quo sensu occurrit apud *Terentium Eunuch.* *Att.* 1. *Sc.* 1. & *Virg. L.* 1. *Georg. vs.* 202. *add. Gotfred.* in *not. ad fragm. L.* 12. *tab.* Si vero *vocatus* confessim sequi nollet, sed moraretur, actor seu vocans eos, qui proximi adstabant, rogabat, an testes esse vellent; & non prius quam testes, quos vel ideo secum adduxerat, vel qui casu praesentes erant, adhibuisset, illum arripere poterat, de quo *Leg. 12. tab.* etiam cautum est his verbis:

SIn jus vocat, nIt antestamino

id est

Si in jus *Vocatus* non sequatur ante (scilic. quam manum injeceris, seu ulterius progressus eris) testes adhibeto super eo, quod agitur: idque tali siebat formula: *licet antestari?* ad quam denuntiationem, si testes adhiberi vellent, respondebant: *licet.* atque tunc actor imam auriculam antestati tangebat: qui mos inde originem duxisse videtur, quia veteres in ima aure memoriae locum esse putabant, quare & auris memoriae consecrata erat *vid. Serv. ad Virg. Ecl. 6. vs. 3.* Quoad hunc antestandi morem eleganter canit *Horat. Serm. L. 1. Eclog. 9. in fine.*

INAUGURALE.

9

VIII.

Cum reus adhuc sequi nollet, auctori manus ei inferre, atque obductantem, & non satisdantem quocunque modo, obtorto etiam collo in jus rapere, & ad Praetoris tribunal trahere licet. Quae potestas Leg. 12. tab. erat data: si Calvitur, pedemve struit, manum endo jacito: verbi autem *Calvitur* interpretationem nobis suppeditat *Gajus in L. 233. D. de V. S.* cuius verba sunt: si calvitur, & moretur, & frustretur, ubi pro & moretur recte legitur *id est moretur*. Cum igitur auctor reum, ut in jus sequeretur, monuisset, factaque esset antestatio, & reus nihilominus sequi nollet, sed calveretur, pedemve strueret, id est, secundum *fustum in verb. struere* si fugere conaretur, tunc Lex eum quocunque modo in jus rapi, & trahi permittebat.

Atque antestatio hic adeo necessaria erat, ut, nisi ea praecesserat, auctori nequaquam manus in reum injicere liceret; liquere enim debebat, reum fuisse rogatum, ut in jus sequeretur, ne saepe auctores malevoli tales violentam in jus raptionem in reos innocentes & non reluctantibus exercearent, iisque sic magnam inferrent injuriam *vid. Racvard. ad leg. 12. tab. tom. 1. c. 5.* Si vero quis intestabilis vel infamis, veluti leno, Raptor, fur, in jus vocabatur, talis antestatio non semper adhibita fuisse videtur, ne deficientibus qui essent testes, eorum improbitati indulgeretur, quod ex *Plauto in Pers. act. 4. Sc. 9.* apparet.

B

IX.

I X.

Si morbus aut senectus impedimento erat in jus vocato, quominus ad tribunal sequi posset, reus non quidem ob eam causam detrectare poterat, actor vero jumentum dare debebat, in quo talis aegrotans in jus veheretur: de quo Lex. pergit: si morbus aevitasve vitium escit, quin jus vocabit jumentum datur: si nolet, arceram ne sternito. Per morbum hic intelligendum est aliquod imbecillitatis vitium, quo reus pedibus ire impeditatur. Distinguendum itaque est inter tale vitium, & morbum vehementiorem, qui in eadem lege sonticus dicitur, & ob quam quis in judicio se non sistens excusabatur, ac dies judicij differebatur, quod docet *Ulpianus L. 2. §. 3. D. si quis cauit. in jud. sist.* per jumentum hic intelligitur vectabulum, quod pecoribus adjunctis trahebatur; quo sensu veteres jumentum dicebant *Gell. N. A. L. 20. C. 1.* & sic reus, qui invalidia quadam pedibus sequi non poterat, commode vehiculo ad tribunal vehebatur. Quoad verba *si nolet arceram ne sternito Raevard. ad Leg. 12. tab. tom. 1. c. 5. legit si volet:* eaque verba de reo accipit, verba vero *si nolet accipienda* sunt de actor: & tunc sensus est, quod actor quadam vehiculo dando satisfaciebat, in quo reus aeger veheretur: si vero reus rogabat, ut arcera majoris commodi causa sibi sternetur, actor eam, si vellet, ei concedere poterat, si vero nollet, ad id non cogendus erat *vid. Gobbofred. in not. ad fragm. L. 12. tab.* arcera autem erat plaustrum undique tectum ac munitum quasi area quaedam magna vestimentis

mentis instrata, qua nimis aegri aut senes portari cubantes sog-
lebant *Gell. N. A. L. 20. c. I.*

X.

In jus vocatum duobus casibus debuisse dimitti notandum
est, quod *Gajus* docet *L. 22. §. 1. D. de in jus voc.* nempe
cum quis ejus personam defenderet, vel quando, dum in jus
ibant, de re transactum esset, idque rursus *Leg. 12. tab. aucto-*
ritate nititur; ubi pergunt Decemviri.

Si ensiet qui in jus vocatum vindicit, mitito.
Affiduo vindex affiduus esto: proletario, cuiqui volet vindex esto.
Endo via rem uti paicunt, orato.

Vindex autem quis sit, optime docet *Festus in hac voce: vin-*
dex, inquit, *ab eo, quod vindicit, quominus is, qui prensus est,*
ab aliquo teneatur. *Affiduus* hic pro locuplete ponitur, & sic ab
affibus dandis dictus videtur, quia *affes duit hoc est det.* Eique
opponitur *proletarius*, isque dicebatur civis pauper, qui in
tenuissima plebe erat, & nihil Reipubl. exhibebat *Gell. L. 16.*
c. 10. Legis sensus itaque est hic, quod defensor, qui reum
locupletem prehensum oblata fidejussione liberare volebat, locu-
ples etiam esse deberet; nisi veroreus locuples, sed pauper erat,
quod tunc qualiscunque vindex seu defensor sufficeret, etiamsi

non locuples esset, & reus esset dimittendus: nec non si in via transegerant, & sic sine Praetoris vel Judicis officio controversia erat submota, Lex id ratum haberi jubebat. Huc etiam pertinet *titul. D. in jus vocat. ut eant aut &c.*

X I.

Cum vero de re non transigeretur, nec reus satis vel cautum daret, & invitus itaque modo tam violento, quam tumultuario in jus raperetur, saepe homines undique concurrebant, & clamor excitabatur, quo nonnunquam contingebat, ut ne reus quidem oblata fidejussione liberaretur, sed vi auctore invito eximeretur; quare Praetor Edictum proposuit, metu poenae eos, qui in jus vocatos vi eripiunt, compescens. *L. i. pr. D. ne quis eum qui &c.* antiquis Romani imperii temporibus violentam illam in jus raptionem Legis 12. tab. auctoritate fuisse licitam, hunc in modum pro ratione instituti satis ostendisse puto.

Transeamus nunc ad Rationem, quae habenda est Personarum, Temporis, & Loci.

Quoad Personas, Praetor quasdam omnino in jus vocari vertuit, quasdam non nisi a se impetrata prius venia vocari permisit, & poenale judicium contra hujus Edicti violatores pollicetur.

XII.

Personae, quae in jus vocari nequeunt, erant Consul, Praetor, Proconsul, neque caeteri Magistratus, qui imperium habent, qui aliquem coercere, & jubere in carcerem duci possunt *L. 2. D. de in jus voc.* Quales dicuntur majores: quod ita constitutum est, ut salva esset magistratus reverentia: ideoque exspectandum est, donec magistratu abeant. *L. 32. D. de injur.* quae dilatio auctori non ita damnosa erat, quia Romani ordinario non ultra annum in Magistratu erant. Jure novo tamen hujus regulae est limitatio; ob delicta enim tempore & occasione Magistratus commissa conveniri possunt; scilicet si quis scit venalem fuisse de jure sententiam *L. 4. C. Leg. jul. repet.* Minor res vero Magistratus, qui sine imperio sunt, recte durante officio in jus vocantur *L. 32. D. de injur. Gellius N. A. L. 13. C. 13.* Nullo modo etiam in jus vocare licet furiosos vel infantes *L. 4. pr. D. de in jus voc.* nec impuberes, alieno juri subjectos *L. 22. D. eodem* si enim sui juris sunt, & tutorum vel curatorum auctoritate muniti, recte iis auctoribus vocari possunt. *L. 2. D. de Admin. tut. L. 2. C. qui legit. perf. stand. in jud.* Jure novo minor à Principe aetatis venia impetrata quasi majorennis etiam in jus vocari potest *L. 10. C. de appell.*

X I I I.

Ulpianus *L. 4. §. 1. D. de in jus. voc.* exhibet Praetoris Edictum de Personis, quas sine venia in jus vocare non licet. Verba sunt: Parentem, Patronum, Patronam, liberos, parentes patroni, patronae in jus sine permisso meo ne quis vocet.

Parentes hic sunt utriusque sexus: quamvis enim mater liberos in potestate non habeat, aequa tamen in infinitum debetur ei reverentia. *L. 4. §. 2. D. de in jus voc.* *L. 4. C. de pair. pot.* *L. 4. D. de curat. furios.* Parentes etiam accipendi sunt, qui in servitute suscepserunt, & hic non solum legitimi, sed etiam naturales intelliguntur, una enim omnibus parentibus est servanda reverentia. *L. 6. D. in jus voc.* & quamvis liberi vulgo sint concepti, matrem tamen in jus non vocabunt, quia haec semper certa est, pater vero est is, quem nuptiae demonstrant. *L. 4. §. ult.* *L. 5. D. de in jus voc.* Parentes, qui liberos emancipaverunt, vel in adoptionem dederunt, etiam sine venia in jus vocari nequeunt.

Pater adoptivus nequaquam a filio, quamdiu in potestate est, in jus vocari potest, jure magis potestatis, quam Praetoris praeecepto. *L. 8. D. de in jus voc.* Lis enim cum eo, quem in potestate habemus, nobis nulla esse potest, nisi filius habeat peculium castrense vel quasi castrense, nam in tali peculio filius fam. vice patris fam. fungitur. Si igitur ratione ejus lis inter patrem & filium oritur, filius, venia impetrata, patrem adop-

tivum

tivum convenire potest *L. 8. & 4. de in jus voc. L. 2. D. ad Suum Maced.*

Praetoris venia etiam necessaria videri posset, ut quis parentes patris adoptivi in jus vocaret, sed Paulus *L. 7. D. de in voc.* impune eos vocari posse ait, quoniam hi ejus parentes non sunt. Cum autem quis filium adoptandum dederat; quoniam tunc jure veteri patris naturalis solvebatur potestas, dicendum videbatur patrem a filio, in adoptionem dato, sine venia in jus vocari posse: sed negatur *L. 8. D. de in jus voc.* quia mansit reverentia patri naturali praestanda, & a natura inuncta.

X I V.

Videamus nunc de patronis, quas Praetor etiam sine venia sua in jus vocari prohibuit: Praetor ait: patronum, patronam, liberos, parentes patroni, patronae in jus sine meo permisso ne quis vocet.

Patroni hic non tantum intelliguntur, qui tales proprie sunt, sed & illi, qui, cum revera patroni non sint, ex Lege jus patroni habent. Patronus proprie est, qui ex justa servitute aliquem manumisit *L. 8. §. 1. D. de in jus voc.* jus patroni habet, qui collusionem detexit; cum enim liberti a plerisque honoribus arcerentur, quoniam eorum vili conditione honores pollui credehantur, patroni corrupti cum libertis colludere solebant, si honores aucupabantur, nempe ut constituto judicio

de

de liberti ingenuitate ageretur, & per collusionem patroni libertus pronunciaretur ingenuus: Cum quis jam id detexisset, pro praemio jus patronatus, quo alter se indignum fecerat, in illum libertum nanciscebatur *tit.* *D. de collus. deteg.* Postquam vero Imperator Justinianus omnes libertos salvo tamen jure patronatus fecit ingenuos *Novell.* 78. hoc non amplius locum habet. Sic qui in judicio patronus pronunciatus est, vel adversatio deferente se patronum esse juravit, cum sententia pro veritate habeatur, ac juramentum rei judicatae vim habeat, quoad hanc causam quoque pro patrono habetur *d. L. 8. §. 1.* Licet talis omnes juris patronatus effectus non consequatur, ut ex *L. 14. D. de jur. patron.* & *L. 45. §. 1. de rit. nupt.* appareat.

X V.

Is, qui servum emit, ut manumittat, etiam pro patrono habetur, atque in jus vocari nequit, quamvis in mora fuerit, & servus non ejus factio, ex D. Marci vero constitutione ipso jure liber factus fuerit L. 10. pr. D. de in jus voc. L. 7. §. 8. D. de donat. inter vir. & ux. L. 3. D. qui sing. manum. L. 2. & 3. C. si mancip. ita fuer. alien. Quod enim non fit per hominem, Lex interdum pro factio habet; neque mora, quae nihil nocet, hic emtori obest. Si vero quis servum nummis ipsius propriis emit, fidemque rupit, hic honor ei non debetur *d. L. 10. pr.* ille enim non solum venditori, verum etiam servo fidem fregit: & quoad hanc causam aliae in jure sunt differen-
tiae

tiae L. 7. C. de oper. libert. L. 1. C de bon. lib. Si ancilla ea lege vendita, ut, si prostitueretur, esset libera, contra venditionis Legem prostituta fuerit, libertatem adipiscitur, & venditor pro patrono habendus est, ideoque sine venia in jus vocari nequit L. 10. §. 1. D. de in jus voc. Si vero ea conditione, ut, si prostitueretur, venditori manus esset injectio, cum emitor contra conventionis Legem fecerit, vendita fuit, tunc non fit libera, at venditor manus injectionem exercere potest; at si venditor tunc ipse eam prostituat, ancilla ipso jure libertatem consequitur, & neuter pro patrono habetur d. L. 10. §. 1. Venditori enim, sub quo illa ad libertatem pervenit, talem honorem haberi, aequum non est, quia prostituendo ancillam contra proprium pactum improbe fecit.

X V I.

Patronus etiam sine venia in jus vocari nequit, quamvis capite minutus sit; si nempe se adoptandum dederit: & jus patronatus retinet, si libertus capite minutus sit, dum per mendacium fraudulosum arrogatus sit ab alio, qui ejus conditionem ignorabat: cum enim hoc ipso, quo arrogatur, conditionem celat, id aetum non videtur, ut fieret ingenuus d. L. 10. §. 2. Haec reverentia quoque patrono exhibenda est, licet libertus jus annulorum aureorum a Principe impetraverit: nam per hoc jus publica officia quidem peragere poterat, non tamen statum, sed tantum inguitatis imaginem obtinebat. L. un. C. ad Leg.

C

Visell.

Visell. at si per Principem natalibus erat restitutus, patronum sine venia in jus vocare poterat; quoniam hoc modo omnino sit ingenuus, & libertus esse definit, perinde ac si nunquam in servitute fuisset *d. L. 10. §. 3. tit. D. de natal. restit.* Si quis manumissus est ab aliquo corpore, vel collegio, vel civitate, tota Universitas patroni loco est; si autem adversus Rempubl., aut Universitatem experiri velit, Edicti veniam petere debet, licet auctorem eorum constitutum in jus vocaturus sit; singulis vero hanc reverentiam non debet, quia non est illorum libertus; *d. L. 10. §. 4.* Quamvis enim ex pluribus constituatur Universitas, singuli tamen seorsum considerati ab Universitate differunt. *Vid. Brunnemann. ad L. 7. §. 1. D. quod cujusq. univers. nom.*

X V I I.

Aliud obtinet, si duorum pluriumve sit libertus communis, qui à Praetore petere debet, ut vel quendam ex patronis in jus vocare liceat, ne ex Praetoris Edicto in poenam incidat *L. 23. D. in jus voc.* Ratio enim est diversa, nempe plures Domini in servo communi singuli partes Dominii habent; non ita singuli in Universitatis servo *Bachovius ad d. Leg.* Atque non solum iste honor patrono praestandus est, si proprio, sed etiam si alieno nomine conveniatur; idque tam in officio necessario, quam voluntario locum obtinet; Praetoris enim veniam impetranda est, licet patronus, quasi curator, vel tutor, vel auctor, vel defensor interveniat. *L. 10. §. 13. D. de in jus voc.* Si vero patronus sub cura vel tutela sit, tunc Praetoris veniam non requiritur;

ritur; ut tutor, vel curator impune in jus vocetur *d. L. 10. §. 13.* an tutor pupilli nomine patronam suam sine Praetoris permisso in jus vocare posset, quaesitum erat; patronam tali casu sine permisso in jus vocari posse respondit Paulus *L. 16. de in jus voc.* Neque Praetoris Edictum extenditur ad casum, si libertus adversus patronum dedit libellum, non dissimulato se ejus libertum esse, quia qui libellum Principi vel Praesidi dat, patronum in jus vocare non videtur *L. 15. D. in jus voc.* Sic etiam libertus, qui a patrono reus constitutus, seque defendere paratus, pro tribunali Provinciae Praesidem frequenter interpellat, patronum in jus vocare non videtur *L. 14. D. de in jus voc.* aliud enim est defendere, aliud in jus vocare.

X V I I I.

Haec reverentia patrono, qui libertum ad jusjurandum adagit, ne uxorem duceret, etiam non debetur; hic enim jure patronatus indignus censetur, adeoque impune in jus vocari potest *L. 8. §. 2. D. in jus voc.* & tale jusjurandum, quia publicae utilitati, ac matrimoniorum favori repugnare videbatur, Lege Julia liberto remittebatur *L. 6. §. 4. D. de jur. patron.* ubi remittitur pro permittitur legendum est, quod satis ex dicti §. finalibus verbis colligi potest vid. *Voet ad tit. D. de in jus voc. N. 6.* An vero liberis talis patroni hoc privilegium, patre quoque vivente, salvum maneat inter veteres Jctos Celsum & Julianum non convenit; Ulpianus vero Juliani sententiam secutus, filium quasi innocentem sine venia in jus vocari non posse

ait d. L. 3. §. 2. Quidam Paulum in L. 15. D. de jur. patron. Celsi opinionem probasse putant; hanc vero Legem ad bonorum successionem restringendam esse censemus. Patronus, si deportatus fuerit, hoc honore etiam non fruitur; jura enim Civilia, quale & hoc est, amittit: at si restitutos fuerit, hunc honorem recuperat L. 10. §. 6. D. de in jus voc. libertus praeterea hanc reverentiam liberis & parentibus patroni, patronaeque praestare debet. L. 4. §. 1. D. de in jus voc.

X I X.

Per parentes & liberos hic etiam, ut supra, omnes parentes & liberos utriusque sexus, & cujuscumque gradus intelligere debemus: & hoc jus ad patres adoptivos, qui, quamdiu adoptione durat, sine Praetoris permisso in jus vocari nequeunt, extenditur d. L. 10. §. 7. Neque patronorum liberi, non tantum qui in potestate sunt, verum etiam qui in adoptionem dati, neque nepotes in adoptiva familia suscepti, sine venia in jus vocari possunt d. L. 10. §. 8. Sed si patroni filius emancipatus filium adoptaverit, haec reverentia illi nepoti non praestanda est. d. §. 8. Ex quo, filios emancipatos patroni hoc privilegio frui, argumentari possumus: & hoc jus in liberis patroni naturalibus etiam locum habet, unde casus d. L. 10. §. 10. exhibetur, si scilicet liberta ex patrono enixa fuerit, an mutuo se, ipsa & ejus filius in jus vocare possunt? JCtus dicit, quod non: ipsa

ipsa enim illum non vocabit, quia patroni filius naturalis est, & hic eam non vocabit, quia mater est.

Praeterea, uti manumissoris reverentiam uxori paeberi bonis moribus convenit, sic re exigente eam sine Praetoris permisso in jus vocari prohibitum est. *L. 1. C. de in jus voc.* Denique patroni heredes, quamvis extranei sint, sine venia a liberto ejusve liberis in jus vocari nequeunt. *L. 1. C. eod.* Ratio esse videtur, quia heres defuncti personam repreäsentat, & in ejus locum ac omne jus succedit *L. 9. §. 1. D. de Edend. L. 34. D. de jud. L. 37. D. de acquirend. bacr.* hoc autem jus patroni liberis non conceditur, si libertum paternum capit is accusaverunt, aut in servitutem petierunt *d. L. 10. §. 11.* Quemadmodum etiam alia jura amittunt. *L. 9. L. 14. pr. D. de bon. libert.*

Ut accusator sit major 25. annis, *d. L. 14. pr.* ut criminis, de quo accusat, mors vel exilium sit poena, & ut accusacionem ad exitum perducat, nunc requiritur. *L. 10. D. de jur. pa-*
tron. L. 14. §. 3. de bon. libert.

X X.

Huc usque egimus de Personis, quae Praetoris Edicto continentur, & quae pro his accipiendae sunt. Plures autem, quibus hic honor debetur, esse docet *Modestinus L. 13. D. de in jus voc.* cujus verba sunt: Generaliter eas personas, quibus reverentia praestanda est, sine Praetoris iussu in jus vocare non possumus: Ut itaque Legibus & Sæcis omnia comprehendine-

SPECIMEN JURIDICUM

queunt, ac idcirco ad similia procedere licet *L. 12. & 13. D. de Leg.* Sic etiam hoc Edictum ad alias Personas extendendum est: quibus enim haec reverentia debeat merito dubitatum est. Quidam hoc Edictum nimis extendere voluerunt, & praecatores, ac senes eo contineri putarunt, quibus reverentiam ipsa humanitas praestari suadet, & parentibus quodam modo praecatores comparantur, ab illis enim habemus vitam, ab his, ut bene & virtuose vivamus, de quibus canit *Juvenalis Sat. 7. vs. 209. add. Quintil. L. 2. c. 9.* Quantam reverentiam iis debet Seneca existimaverit, ex ejus *Epistola 64*, satis apparet: quoad senes, *vid. A. Gell. N. A. L. 2. c. 15. & Callistratus L. 5. pr. D. de jur. immunit. add. Ovid. L. 5. fast. vs. 57.* Sed quare senibus & praceptoribus haec reverentia magis deberetur, quam magistratibus minoribus, quos sine venia in jus vocari posse vidimus, non satis patet:

Quam ob causam cum iis, qui reverentiam *in d. L. 13.* specialius accipiendam, non qualem qualem, Legis veronecessitate praestandam esse censent, libenter facimus, ac quam illis debemus, quorum Personae nobis sanctae esse debent, & a quibus vitam, atque quae vitae aequiparari solet libertatem accepimus *Bachovius & Clar. Noodt ad tit. D. de in jus voc.*

Socer & socrus sine venia vocandi non videntur, bi enim parentum locum obtinent *L. 16. D. solut. matrim. & affectio paterna inter socreram & generum intercedere dicitur L. ult. D. de his, quae ut indign.* Huc accedit, quod sacer contra generum aequae ac pater contra filium competentiae beneficio gaudeat *d. L. 16. & L. 15. §. 2. D. solut. matrim. L. 84. D.*

de

de jur. dot. L. 21. & 22. de re jud. Verum hoc ad vitricum & novercam, licet enim hi etiam quodam respectu ex affinitate parentum loco sunt, non recte extenditur §. 6 & 7. *inst. de nupt. L. 14. §. 4. D. de ritu nupt.* *L. 1. D. ad Leg. Pomp. de parr.* in omnibus tamen eadem iis non tribuitur reverentia; famosa enim furti actio & expilatae hereditatis crimen contra eos intentari potest. *L. 2. & 3. C. de crim. expil. hered. L. 3. & 11. C. de furt. L. 4. D. de ineff. testam.* ad maritum hoc etiam trahitur, quem ab uxore in jus vocari non posse nisi venia impetrata. *D. statuunt Voet add. tit. N. 6.*

XXXI.

Transgrediamur ad tempus, quo quis in jus vocari nequit: Ulpianus *L. 2. D. de in jus voc.* ait nec Pontificem, dum sacra facit, nec eos, qui propter Loci Religionem inde se mouere nequeunt, in jus vocare oportere. (Hujus prohibitionis causa Religionis favor fuisse videtur.)

Raevardns *L. 1. varior. C. 6.* hunc locum corruptum esse existimat, & pro se mouere legit semoveri quasi Ulpianus dixisset, eos, qui ad Deorum aras, aut alium locum, cuius Religio impedit, quominus quis inde invitus semoveatur, confugiunt, in jus vocari, trahi aut rapi inde non posse.

Crisis sane levissima est, veremur vero ne haec Raevardi sententia non procedat: cum enim ibidem doceat, & aliunde certissimum sit, hanc propriam esse asylorum naturam, ut illi,

qui

qui ad asylum confugerant, inviti inde abstrahi aut semoveri nequeant, Praetor hic actum aeturus, & supervacuum hoc ejus plane Edictum fuisset.

His verbis Wissenbach *Disp. 7. tb. 9.* qui propter Loci Religionem inde se mouere non possunt, non alios significari dicit, quam eos ipsos, qui sacris intersunt: & addit, his enim fas non erat ante discedere, quam omnibus sacrificii ceremoniis perfectis, sacerdos suclamet illud solenne illicet, qua voce illos, qui interfuerunt missos faciebat.

Quae simplicissima explicatio non displiceret, nisi & haec interpretatio magis ad actus, quam ad Loci Religionem accommodata esset, cum tamen tantum de Loci Religione quaestio sit; deinde etiam non satis probat, nemini licitum fuisse abire, prius quam sacerdos hoc solenne illicet exclamasset, magis enim probabile est vel omnes abire potuisse, dummodo sacra non interrumperentur, & Pontifex in peragendis sacris pergeret, unde natum proverbium,

Salva res est, senex saltat:

Vid. Serv. ad Virgil. Aen. L. 8. vs. 110. illudque illicet tantum in omni fere actu solenni finem indicasse, & nihil aliud significare, quam actum est, & finita sunt, & eodem modo, uti antiqui & adhuc hodie nostri Oratores, illud solenne Dixi usurpant, adhibitum fuisse; E. G. in judiciis, *Serv. ad Virg. Aen. L. 2. vs. 424.* (ubi dicit illicet, hoc est, mox, confessim, apud veteres vero significabat actum est) cum judex finem rebus agendis

dis imponeret, proclamat illicet. Sic etiam in exequiis mortuorum Praefica, seu Mulier Princeps planctum proclamabat illicet, postquam scilicet cadaver combustum, adstantes lustrati, & ultimum Salve & Vale exclamatum esset; interim tamen improbabile non est, omnes illos, qui sacris intererant, quamdiu sacra peragerentur, in jus vocari non potuisse: *vid. Alexander ab Alexand. Genial. Dier. L. 3. c. 7. in fine: Add. Vir. Doct. ad Terentium in Eunucbo Act. 1. Sc. 2. vs. 9. Act. 2. Sc. 3. vs. 55. Heautontim. Act. 5. Sc. 2. vs. 27. Et in Phormione Act. 1. Sc. 4. vs. 31.*

XXXI.

Porro is, qui in causa publica equo publico transvehitur, in jus vocari nequit *L. 2. D. de in jus voc.* Cujacius *Cit. L. 13. obs. 29.* pro in causa publica legit in Capitolium vel Castoris Pollucis; quasi scriptum fuisset in *C. P. add. Raevard. L. 2. varior. C. 15.* Hottomannus vero *obs. L. 3. C. 21.* Ulpianum scripsisse putat: qui equo publico in censu publice transvehatur: Verba vero de solenni Equitum Romanorum transvectione, de qua *Sueton. in Aug. C. 38,* accipienda videntur. Ac quoniam I^{CT}US generaliter loquitur, ad alias casus similes ejus verba extendi possunt, ita ut ad omnes eos, qui ob quamvis causam publicam equo transvehuntur, quoque pertineant *vid. Freber. Parerg. L. 2. C. 8.* Insuper, qui uxorem dicit, aut eam, quae nubit: quod maxime de solenni in mariti domum illa deductione intelligendum

D

dum

dum est *L. 5. D. de rit. nupt. L. 15. D. de Cond.* & demonst. nec judicem, dum de re cognoscat, nec eum, qui apud Praetorem causam agit, aut litigandi causa in jure vel certo loco sisti necesse habeat, in jus vocari decet: ea enim non afferitur eo tempore, quo quis causam agebat, seu in jure vel certo loco sistebatur, factam esse in jus vocationem; contumax vero tantum si videri non dicitur, qui apud minorem judicem inchoatam habens litem, eam deseruit, cum ad majus auditorium erat vocatus; quia peccasse non videtur, qui, dum utriusque vacare nequit, uni & quidem majori auditorio vacat arg. *L. 3. §. 4. D. ad Sctm Silan. & Claud.*

Si quis funus familiare ducat, justave mortuo faciat, aut cadaver prosequatur, etiam in jus vocati nequit *L. 2. & 3. D. de in jus voc.* cadavera enim sine ullo obstaculo sepelienda sunt *L. 38. D. de Religios.* ac nullus in exercenda hac humanitate impediendus est. In d. *L. 2.* quidam pro justa legunt busta; de ejus verbi significatione videri possunt *Servius ad Virg. Aen. 11. vs. 201. Festus & Vossius in voc. busta.*

Novem autem dies ad justa defunctis peragenda erant constituti, qui feriae Novendiales vel Denicales dicebantur *A. Gell. N. A. L. 16. C. 4. Festus in hac voce, Gothofred. ad Nov. 115. C. 5. in fin.* Denique tempore feriato in jus vocationem ordinario fieri non posse ultro intelligitur: feriae enim a forensibus negotijs dant vacationem *L. 9. D. de feriis.* Neque iis Magistratus jus dicit, neque sui potestatem facit *L. 6. D. de fer.* Unde diebus juridicis opponuntur in *L. 7. C. eodem* qui etiam sessionum dies dicuntur *L. 2. §. 1. D. quis ordo in bon. poss. sero.*
quia

quia Praetor iis coram tribunalī juris dicendi causa sedebat.
Add. Ovidius *L. 1. fast. vs. 45.* & *sqq.*

XXXIII.

Loci rationem etiam habendam esse antea diximus: sic nulus de domo sua in jus vocari poterat *L. 18. D. de in jus voc.* Domus enim cujuscunque ob Penatum Religionem sancta habebatur, quod eleganter expressit *Cicero pro Domo C. 42.* Per domum autem non tantum intelligere debemus, si quis in domo propria, sed & in conducta, aut gratis, aut hospitio habitet, non tamen ut viator, sed habitandi gratia receptus sit *L. 5. §. 2. D. de injur. L. 1. §. 9. D. de his qui effud. vel dejec. L. 203. D. de V. S.* id etiam dicendum videtur de villa, horto, si aedibus vicinus est *L. 91. §. 5. D. de Legat. 3. L. 4. §. 3. D. de injur. ut de navi,* si quis navim velut domum inhabitat, nusquam, praeterquam in navi, domicilium habens *L. 6. §. 3. D. de his qui effud. vel dejec. Voet ad tit. D. de in jus voc. N. 2.* Si quis contra fecerit vim inferre videtur *L. 18. D. d. t.* & injuriarum actio in eum competit, qui alienam domum invito domino introivit *L. 23. D. de injur.* Siquis matrem fam. de domo extrahat, inter maximos reos citra ullam indulgentiam poena capitali plectitur *L. 1. C. de offic. divers. jud.* interdum tamen is, qui domi est, recte in jus vocatur, si nempe aditum ad se praestat, aut ex publico conspiciatur, non vero de domo sua extrahi potest *L. 19. in fin. & L. 21. D. de in jus voc.*

Aras etiam antiqui inviolabiles esse voluerunt, quare confugiens in fana, si aras fuissent amplexi, inde extrahi non poterant. Ovidius *L. 4. trist. Eleg. 5. vs. 2. L. 2. de Pont. Eleg. 8. vs. 68. sqq. Rosin. Antiq. Roman. L. 1. C. 13.* tale jus quoque tribuebatur Principum statuis *L. 2. D. de bis, qui sunt sui vel alien. L. 1. §. 1. D. de offic. Praef. Urb. L. 17. §. 12. D. de Aedilit. Edict.* Jure novo etiam ad Ecclesias Sacrosanctas confugiens inde abduci nequit *L. 2. C. de bis qui ad Eccles. config.* Si quis autem latitet, ac non defendatur, quamvis de domo extrahi non debeat, satis poenae subit, quod mittitur adversarius in ejus bonorum possessionem *L. 19. D. de in jus voc. quibus modis hoc siebat, tractat Siganus L. 1. de judic. C. 18.* Edicti verba exhibet Ulpianus *L. 7. §. 1. D. quibus ex cauf. in pess. eatur:* Cum autem actor in bonorum possessionem missus esset, per triginta dies bona possidebantur, & post diem trigesimum distrahebantur ac proscribebantur *Sigan. d. L.*

A vinea, Balneo, & theatro in jus vocari licet *L. 20. D. de in jus voc.* de balneo autem & theatro, quia sunt loca publica, *§. 6. inst. de rerum divis.* dubitari nequit: Gothofredus vero ad *L. 20. D. de in jus voc.* pro vinea legit caupona, & Cujacius legit janua vel jacea: hoc sensu quis in jus vocari possit, ut quemadmodum est fenestra, ita & e janua domus suae in qua consistit: quod ferri potest: mutatio tamen omnino necessaria esse non videtur.

XXIV.

Praetor autem non indistincte actionem liberto concedebat, causa vero cognita aut veniam dabat, aut negabat; si enim pudorem fugillantem vel actionem famosam instituere vellet, Praetor hanc non permittebat. Ex causa tamen famosa patronum a liberto in jus vocari permettere debebat, si eum gravissima injuria affecerat, cum nempe flagellis cecidisset *L. 10. §. 12. D. de in jus voc.* Cum autem quis parentes, patronum, aliosve in Edicto enumeratos sine Praetoris permisso in jus vocavit, adversus eum datur actio poenalis, quae in factum dicitur *L. 12. D. eodem* datur enim ex facto & peccato ejus, qui aliquid admisit, & quidem ad 50. aureorum poenam *L. 24. D. eod.* datur haec actio, & applicatur poena ei, qui contra Edictum in jus vocatus est, & cui injuria illata est; privata enim est injuria. At si vocatus in aliena sit potestate, veluti patris, non filio, sed patri actio competit; nisi pater absens sit, tunc enim filius agere potest *L. 17. §. 10. D. de injur. L. 12. D. de in jus voc.* Non itaque fisco: quare & Rescripto remitti nequit *L. 2. C. eod.* Haec actio non etiam est popularis, quod apparent ex *d. L. 12.* ubi, quod Ulpianus ait, inepte esset dictum, cum omnes etiam filifam. actionem populariem instituere possint.

Haeredi nec in haeredem haec actio datur *L. 24. D. eod.* hac enim vindicatur injuria, per vocationem in jus illata; quales actiones poenales, ad vindictam tendentes, neque haeredibus

neque in haeredes dantur §. 1. *instit. de perp. & temp. att.*
Sed ejus morte finientur, cui injuria illata est, quam moriens
remisisse intelligitur: & quoniam est Praetoria poenalis ultra
annum locum non habet. *L. 24. D. eod.*

X X V.

Datur contra libertum vel filium, qui, venia non impetrata,
in jus vocavit, sive filius sit emancipatus, sive in potestate,
scilicet pro castrensi vel quasi castrensi peculio *L. 4. D. de judic.*
Poena hic est constituta 50. aureorum: si vero libertus inopia
laborare dignoscitur, a Praefecto Urbi quasi inofficiosus castigatur
L. ult. D. in jus. voc. & sic in corpore, quod non habet in
aere, luere debet *L. 1. §. 3. D. de poen. L. 7. §. 3. D. de juris-*
dici. Atque hac poena non solum tenetur is, qui dolose contra
Edictum in jus vocavit, sed etiam qui sine dolo per ignorantiam
aut rusticitatem; cum enim naturali ratione honor talibus Personis
debeat & juris Naturalis ignorantia neminem excusat, in
hac causa rusticati venia non praebetur *L. 2. C. de in jus voc.*
L. 2. D. de just. & jur.

Cestat haec actio, si scilicet filium vel libertum poenituerit,
ut volunt aliqui, actionis institutae & eam remiserit *L. 11. D.*
de in jus voc. Notandum tamen, locum esse poenitentiae usque
ad Litis contestationem, non usque ad sententiam definitivam.
Si pater vel patronus non invitus vocatus sit, sed volens se sine
venia conveniri passus sit *d. L. 11.* volenti enim non fit injuria

L.

L. 1. §. 5. D. de injur. & quisque beneficio vel privilegio sibi concessio renuntiare potest L. pen. C. de pañ. & quamvis Edicti verba hoc non patientur, his tamen casibus ex aequitate moderandam esse jurisdictionem Labeo voluit d. L. 11.

XXVI.

Huc usque egimus de antiqua in jus vocatione, qualis fuerit, quibus modis fieret, & quae Personae in jus vocari potuerint, quaeve minus, inquiramus jam paucis, quales ejus effectus fuerint.

Effectus erant

I. Ut in jus vocatus in jus vocantem statim sequi deberet; à qua necessitate nemo excusabatur *L. 2. pr. D. si quis in jus voc. non ib. L. 4. §. 1. D. ne quis eum qui &c.*

II. Ut, si quis in jus vocatus non ierit, ex causa a competenti judice, multa pro judicis jurisdictione damnaretur. *L. 2. §. 1. D. si quis in jus voc. & ad hanc multam exigendam vindetur auctori accommodanda actio in factum L. 5. §. 1. D. ne quis eum qui &c.*

Cessat tamen haec poena

1mo Si in jus vocatus, sine dolo, ex rusticitate, non venerit *L. 2. §. 1. D. si quis in jus voc. &c.*

2do Si dies feriatus eo die, in quem reus vocatus est, incidet *Arg. L. 2. D. in fin.*

2ndo Si

3to Si non vocatus sit ad eum, qui jurisdictioni praeest Arg.
L. 2. pr. D. eod.

4to Siquis eum, quem ex Praetoris Edicto vocare nequit, vocaverit.

5to Si quis vocatus sit ad Judicem notorie incompetentem *L. ult. D. de jurisd.*, non vero si dubium sit, utrum illius Judicis, ad quem vocatus est, jurisdictioni subsit, quin vel ad hoc venire debet, ut sciatur an jurisdictione ejus sit. *L. 2. pr. D. si quis in jus voc.*

Denique *6to* etiam, si quis, datis fidejussionibus idoneis, se certo die stitulum cavisset.

III. Si quis ad suum forum vocatus, deinceps alterius fori factus fuerit, non habet jus revocandi forum, id est, non habet exceptionem, se ad forum sibi non competens vocatum esse, quoniam jam ad aliud forum pertineat, quia in jus vaccinatione praeventus est. *L. 7. D. de jud. L. 19. D. de jurisd.*

IV. Si in jus vocans ab in jus vocato poenam, (nempe nisi reus venerit) stipulatus esset, cum reo actione ex stipulatu agere poterat, ad poenam promissam consequendam: nulla autem adjecta poena, nisi reus status esset, cum reo actione incerti ad id, quod interest, agere poterat *L. 3. D. si quis in jus voc. &c.*

Quo autem tempore illa in jus vaccinatione cessaverit, incertissimum est; si autem opiniones, quae plurimae sunt, hic enumerare velimus, id nos tam diu detineret, ut temporis angustiae, quarum in principio minus memores eramus, huic labori parcere nos serio jubeant: Ut autem sim brevis, de citatione hodierna, variisque ejus effectibus aliquid adhuc dicemus.

XXVII.

Differentia inter in jus vocationem & citationem hodie sublata est, & citatio nunc describi potest legitima denunciatio, justu judicis facta, ut quis se coram judice sistat.

Citatio alia fit ante, alia post Litis contestationem, quae etiam vel ante vel post sententiam *Merula* tit. 24. C. 3. *Damboud* prax. Civil. C. 57. Ordinarie dividitur in verbalem & realem. Verbalis duobus modis fieri potest; vel viva voce, cum apparitor denunciationem facit ad faciem domumve vocati; vel scripto, quod maxime in supremis Curiis locum habet, cum scilicet litteris mandatoriis per supplicationem ad hoc post causae narrationem impetratis reus per apparitorem in jus vocatur *vid. S. v. Leeuwen Cens. for. p. 2. L. 1. C. 23.* Notandum est, quod nisi reus sui copiam faciat, sufficiat, si apparitor vel nuncius domesticis, vel si nec eorum aliquis praesens sit, vicinis proximis id notum faciat, vel citationem scriptam januae affigat *S. v. Leeuwen d. L. Damboud d. L. C. 59. in pr.* Apparitor autem omnia judici renuntiare debet, ejusque relationi plena adhibetur fides in his, quae ad citationis executionem pertinent *Gail. L. 1. Obs. 54.* haec verbalis etiam dividitur in Ordinariam & extraordinariam, quae & publica & Edictalis dicitur; eaque fit publice per proclama, vel per Edictum publicis locis affixum, vel per Campanam, tubam, similemve modum. *Merula L. 4. tit. 24. C. 3. N. 3.* Ordinarie haec locum non habet, sed

E

tantum

tantum in necessitatibus casibus adhibenda est. Qui autem hi causas sint, & quando talis citatio necessaria sit, optime tractat *Voet ad tit. D. de in jus voc. N. 16.* & *Gail. L. 1. obs. 57.*

Realis Citatio est, quae fit per prehensionem, aut manus in-jectionem; cum vel ipse reus vel res seu bona ejus apprehenduntur, ac detinentur: eaque hodie vocabulo barbaro dicitur arrestum: quoniam autem rigidissimus hic plane in jus vocandi modus est, in gravioribus Criminalibus maxime locum habet: in quibusdam tamen casibus etiam in Civilibus adhibetur, de quibus *Peckius de jure Sist. Voet d. L. N. 17. Iqq. Merula L. 4. tit. 24. C. 9.*

Citatio etiam simplex seu dilatoria est, vel peremptoria: illa est, cum quis simpliciter ad Judicem vocatur, & ulterior dilatio non denegatur. *L. 68, 69, & 70. de jud.* haec est, cum quis ita vocatur, ne ulterior dilatio concedatur, sed siue citatus comparuerit, siue non, de causa cognoscatur, ac pronuncie-tur. *L. 71. & 72. D. de jud.* Notandum est, quod in quibus-dam causis prima, in quibusdam altera, in aliis vero tertia vel quarta citatio sit peremptoria *d. L. 72.* in quibus autem causis prima vel alia citatio peremptoria esse debeat, videri potest *apud Merulam sup. alleg. L. 4. tit. 24. C. 3, N. 9. & Damhoud prax. Civil. C. 57.*

XXVIII.

Antea ostendimus omissa citatione nullum judicij actum habere effectum; & quoniam illud, quod vitiose factum est, factum non videtur *Arg. L. 6. D. qui Satisd. Cog.* omnino attendendum est ad ea, quae requiruntur, ut Citatio sit legitima, & effectum habeat.

Talia autem requisita statuuntur sex:

- I. Ut nomen judicis, cuius jussa citatur, exprimatur.
- II. Ut citatio actoris vel citantis nomen & cognomen contineat.
- III. Ut etiam rei vel citandi nomen & cognomen contineat.
- IV. Ut exprimatur causa, ob quam quis citatur.
- V. Ut locus judicij seu tribunal apponatur.
- VI. Ut denique dies, seu tempus, quo citatus in judicio comparere debet, exprimatur. De his omnibus *vid. Gaii. L. I. obs. 48. sqq.*

His omnibus observatis citatio legitime habetur facta, variosque effectus producit. Sic judicij initium facit §. ult. *inst. de poen. tem. litig.* obligatque eum ad comparendum *L. 2. D. si quis voc. Ec. L. 5. D. de jud.* Inducit jurisdictionis prae-

ventionem, eamque perpetuat. *L. 19. D. de jurisd. L. 7. D. de jud. L. ult. C. de in jus voc. Voet ad d. t. D. N. 63. Merula L. 4. tit. 24. C. 11. N. 1.* & 2. interruptit praescriptionem *L. 3. L. 7. C. de praescript. XXX. ann.* Quoad autem praescriptionem, ejusque interruptionem quid hodie obtineat videri potest apud *H. Grot. introd. ad Jurispr. Holl. L. 2. part. 7. Leeuwen Cens. for. part. 1. L. 2. C. 10.* Si etiam de rei cuiusdam dominio controversia moveatur, citatio rem facit litigiosam *Auth. Litig. C. de Litig. Novell. 112. C. 1. Voet ad tit. D. de litigios.* & denique causam ad haeredem transmittit *L. 7. D. de inoffic. testam. L. 36. in fin. Cod. eod.*

Quod ad personas, quae jure Romano plane vel non, vel nisi impetrata venia in jus vocari poterant, non omnia hodie sic observantur. Moribus enim Magistratus aequae ac alii privati citari possunt: in causis tamen, quae ad eorum officium pertinent, quoad rationem & formam citandi quaedam est differentia videtur. *Vinn. ad §. 12. inst. de Action. N. 5. Merula d. L. & tit. C. 12. Cujacius Lib. 10. obs. 10.* veniae impetrationem hodie ad parentes citandos non necessariam esse putavit, quoniam rigidus ille in jus vocandi modus, quem solum causam habuerunt, ut venia impetraretur, non amplius locum habet: reverentia vero, quae parentibus debetur, etiamnum hodie veniae impetrandae necessitatem injungit, ac moribus hoc ita receptum esse tradunt *Voet ad tit. D. de in jus voc. N. 6. Gudelin. de jur. noviss. L. 4. C. 5. N. 4. Groeneweg. ad L. 6. D. de injus voc. Vinnius Loco laud. Merula d. Cap. 12. N. 3.*

I N A U G U R A L E.

37

En., B. L., quae de hac juris materia in chartam conjeci:
accipias itaque hoc specimen aequo animo, dum subnixe rogo, ut
qualiacunque vitia & errata reperias, ea juventuti ac ingenii mei
hac in re tenuitati quam maxime adscribere velis.

Itaque dictis impono.

F I N E M.



THESES.

I.

Jus Naturae, principiis Ethices nixum, internam obligandi vim habet, nulla lege vel vi humana tolli potest, atque omnis Jurisprudentiae verum & unicum fundamentum ac norma est.

I I.

*Violentam in jus vocationem, sine Personarum distinctione, privatis
etiam ex L. 12. tabb. regulariter licitam fuisse defendo.*

I I I.

*Tempore Pandectarum privatam in jus vocationem licitam fuisse
opinor.*

I V.

Legatum rei alienae valet.

V.

Pater filio ex heredato recte dat tutorem.

V I.

Ex nudo pacto Jure Romano non datur actio.

V I I.

Negotiorum gestor regulariter praestat culpam levissimam.